

clivius iustitiae capiat obliuio, quam, si in cupiditatem inciderint, lites celeriter & breuiter sine flexis processus, quibus negotia forensia hodie tractantur, ambagibus, omni iure scripto seposito, secundum *aequum & bonum*, quod crepant, dirimere &, quod princeps munus iustitiae est, suum cuique tribuere.

Vt scopulos euitem, quibus non solum casci superioris aevi, sed nostri etiam excultissimi seculi interpretes, viri artibus omnigenis instructi, ciuilibus scientiae lumina & columnina impegerunt, pro stabilenda mea sententia non aniles veterum interpretum fabulas generalesque de officio iudicis *nobili ac mercenario & necessaria conformitate sententiae iudicis cum libello*, adfertiones, quae *brocardica* vel *quodlibetica* vulgo appellantur, adlegare in animo habeo, quia his plerumque parum sani inesse solet, sed, prout decet, sic in proposito versabor, vt ante omnia rem, quae in omnium quidem ore, sed in paucorum intellectu versatur, secundum *aequitatis naturalis normam*, ea, quae fieri potest, breuitate & perspicuitate ex animi mei sententia & prout religio suggerit, exponam, deinceps vero ostendam, ea, quae in iuris romani auctorum libris de iustis huius officii cancellis leguntur, naturae rei & aequitatis rationi adeo conuenire, vt, etiamsi a *ICTis* romanis ita definita non essent, mediocriter intelligenti vltro in mentem venire non aliter debuissent, & qui contra sentit, nihil sentire sit aestimandus.

Quamuis autem in animum non induxerim, de officio iudicis primam velut iuris paediam explicare, non tamen silentio praeterire possum, hoc nomine a *ICTis* illam